

Ob 33



Programm

des

Königlichen Gymnasiums

Hohenstein in Preuszen.

Zu der
öffentlichen Prüfung,


welche

Dienstag den 31. März und Mittwoch den 1. April

in der Aula des Gymnasiums gehalten werden wird,
ladel ergebenst ein

Dr. M. Töppen,

Direktor des Gymnasiums.



Inhalt:

1. De causis Romanorum publicis. Von Prof. Dr. Krause.
2. Schulnachrichten. Von dem Direktor.

Hohenstein,

gedruckt in der C. H. Harich'schen Buchdruckerei.

1863.



Übersicht der öffentlichen Prüfung.

Wienstag den 31. März Nachmittags	
2 Uhr. VI. Religion	Wendland.
Deutsch	Baldus.
3 " V. Latein	Portig.
Deutsch	Wendland.
4 " IV. Geographie	Gervais.
Latein	Heinicke.



Mittwoch den 1. April Vormittags	
8 Uhr. III. Französisch	Heinicke.
Mathematik	Blümel.
" II. Lateinisch	Siebert.
Griechisch	Krause.
10 " I. Mathematik	Blümel.
Geschichte	Töppen.

Nach der Prüfung der einzelnen Klassen folgen Deklamationen und Reden der Schüler. Mittwoch nach 11 Uhr erfolgt die Abiturientenentlassung durch den Unterzeichneten.

Nach Ertheilung der vierteljährigen Zeugnisse, Mittwoch den 1. April Mittags, wird der Unterricht auf 2 Wochen geschlossen. Zur Prüfung und Aufnahme neuer Schüler wird der Unterzeichnete am 14. und 15. April bereit sein. Der neue Cursus beginnt Donnerstag den 16. April.

Hohenstein, den 18. März 1863.

Dr. M. Töppen.



a.B 1724

De causis Romanorum publicis.

Praefatio.

Pauca, quae scripsi de causis Romanorum publicis, non modo jactationem literatam habere nolui, sed discipulis composui, ut haberent, quid in legendis et orationibus et libris rhetoriciis Ciceronis sequerentur. Sunt autem profecta ex sermonibus, quos cum primanis aliquamdiu semel per hebdomadem de hac re latine institui. Postquam enim per aliquot annos his sermonibus subjeci argumenta, vel ex historia Romanorum et Graecorum, vel ex antiquitatibus petita, — et majore sane quodam studio in colloquiis de re militari, de domo, de servis, de educatione, de bibliothecis, epistolis, de aliis rebus ad vitam et publicam et domesticam Romanorum pertinentibus immorati sumus — ad hanc potissimum materiam paulo difficiliorem aggredi non sum veritus, praesertim quum expertus scirem, quam rudes hospitesque in hisce rebus discipuli essent quamque necessaria earum rerum cognitio paulo subtilior. Atque materiam harum rerum et copiam uberrimam jam diu a me diligenter ex veteribus ipsis collectam congestamque, postquam paulatim sicut potui dolavi, Reinio, ingeniosissimo ac doctissimo viro, in posteriore certe disputationis parte duce, cujus vestigia laxius pressius me secutum esse libere profiteor, recenti tempore digessi ac perpolici et quum rem ad intelligentiam discipulorum accommodandam esse viderem, ita scribere non dubitavi, ut et verbis maxime propriis uterer et voluisse iis, qui non essent eruditii, familiaris esse viderer. Quodsi scriptum meum iis, qui eruditionis in communibus literis positae non sunt expertes, utilitati erit, mihi sane videbor navasse operam, quod hanc potissimum rem, doctis non sane reconditam, sed discipulis fere obscuram, paulo accuratius uberiusque tractaverim.

Index rerum tractatarum.


Pars I.

- Cap. I. De origine juris publici. p. 1.
Cap. II. De curriculo causarum publicarum. p. 2.
Cap. III. De actione causarum publicarum comitiorum propria. p. 4.
Cap. IV. De quaestionibus extraordinariis. p. 5.
Cap. V. De quaestionibus perpetuis.
 § 1. De institutione, incremento, praesidibus quaestionum perpetuarum. p. 6.
 § 2. De judicibus, qui in quaestionibus perpetuis considebant. p. 7.
Cap. VI. Actio causarum quaestionum perpetuarum propria. p. 9.

Pars II.

De generibus causarum publicarum.

- Cap. I. De partitione criminum. p. 13.
Cap. II. De crimine perduellionis. p. 14.
Cap. III. De crimine imminutae majestatis. p. 15.
Cap. IV. De crimine repetundarum. p. 17.
Cap. V. De crimine peculatus. p. 23.
Cap. VI. De crimine ambitus. p. 25.
Cap. VII. De vi. p. 31.
Cap. VIII. De incendio, falso, perjurio. p. 34.
Cap. IX. De preevaricatione, tergiversatione, calumnia. p. 35.



Pars I.

Cap. II.

De origine juris publici.

Jus est aut publicum sacramque aut privatum. Atque in illo quidem versantur causee publicae sive judicia capitis, quippe quibus injuriae non illae quidem civibus singulis sed reipublicae ipsi illatae vindicentur, in qua re non est praetermittentum, esse injurias quasdam, quibus, quamquam singulis civibus factae sint, salus omnium in discrimen vocari turbarique possit, quae ad jus publicum pertinere recte existimantur. In eos igitur, qui fines sui juris egressi omnium saluti periculum affere videantur, respublica suo jure animadvertisit, quo in posterum melius tueatur instituta publica atque sustineat. Est igitur reipublicae harum rerum animadversio, nec enim sine jure delictorum, quibus salus omnium agatur, coercendorum sistere potest idque jus reipublicae apud Romanos ex dupli fonte fluxisse videtur, et ex jure sacro et ex jure talionis. Ac primum quidem videamus, quae vestigia juris sacri appareant in jure publico atque existent.

Atque quis est, quin cernat, quam prisca fuerit illa opinio atque multorum populorum communis, sceleribus peccatisque humanis ipsum violari divinum et Deorum iram flecti ac placari expiationibus ac lustrationibus per sacerdotes publicos factis? Respublica igitur, quum homines sceleratos poena afficeret merita, partes Deorum suscipiebat ultorum. In hanc rem potest afferri primum vis vocabuli supplicii, quod quidem constat, quum ducatur a placando, in ea significatione quasi natum esse, ut esset sacrificium piaculare, quo expiarentur Deorum religiones atque homines in gratiam eum Diis redirent. Hinc quum homines scelerati caput atque bona Diis inferis

consecrarentur, nata est illa vis, qua semper fere legitur. Nec vocabulum castigationis ab initio videtur alia vi usurpatum esse nisi lustrationis; nam is qui lustrabatur, tanquam agebatur vel potius siebat castus, et postea demum adscivisse significationem poenae. Jam vero quis dubitat, quin sacratio capitis ex jure sacro repetenda sit? Nam qui leges sacras violaverat, is erat sacer sive sacratus poteratque a quovis necari et erat jure caesus. Nec Romanorum ille mos, ut hominem capitum damnatum securi percuterent, videtur absimilis esse mori hostiae ferienda ad Deorum iram placandam. Quo tempore autem sacratio capitis sit abolita, pro certo quidem affirmari non potest, attamen una cum jure sacro etiam poenas, quae inde proficiserentur, in oblivionem venisse et pro capitibus sacratione paulatim aquae et ignis interdictionem in usum receputum esse probabile est.

Jam circumspiciamus, ex quo altero fonte reipublicae jus puniendi manasse videatur. Atque antiquissimis temporibus, quum leges et judicia essent nulla, par pari referebant, sanguinem sanguine, caudem caede expiabant. Paulatim vero, quum ex fera agrestique vita ad cultum humaniorem civilemque dederentur, respublica jus scelerum vindicandorum consanguineis et necessariis ejus, qui violatus vel caesus erat, ademtum sibi soli vindicavit atque jure talionis sublato homines sceleratos in judicium vocare coepit. Cujus causarum publicarum originis sunt haud pauca, quae nos admonent. Ac primum marito etiam postea per leges licebat adulterum comprehensum interficere. Quid quod addictio debitoris, qui solvendo non esset, vix potest aliunde repeti? Nec desunt exempla, quibus perspicuum fit, ad jus talionis etiam in republica legibus temperata haud raro descensum esse. Liv. III. 58. Cic. p. Mil. 3. 4. Denique quemadmodum supplicium ad sacram illam animadversionem referendum esse constat, sic poenam ex cupiditate injuriae privatum ulciscendae esse natam, ex vi naturaque verbi ipsius satis appetet. Sed fortasse quaret quispiam, qui fieri potuerit, ut hae duae puniendi rationes inter se diversae eodem tempore Romae vigerent. Id vero resipientibus nobis tres stirpes Etruscorum, Latinorum, Sabinorum, quarum sua quaeque instituta haberet, in unius populi corpus coaluisse, facillimum est ad intelligendum.

Cap. III.

De curriculo causarum publicarum.

Jam in curriculo causarum publicarum tres gradus atque actates discernuntur. Ac prima quidem aetas, quae inde ab ultima urbis memoria repetitur atque regno Servii Tullii terminatur, judicia comitorum curiatorum continet; per alteram, quae a rege Servio

usque ad legem Juniam Iciliam 494. a. Ch. manat, aetatem comitiorum centuriatorum judicia erant; tertia judicia, quae a lege Junia usque ad liberam civitatem eversam inter comitia centuriata et tributa divisa erant, complectitur. Atque de illis quidem duabns superioribus pauca sunt dicenda. Judicia enim reges habuerunt, qui aut ipsi cum consilio judicabant, aut ad duumviros perduellionis sive quaesidores parricidii causas publicas delegabant, nec dubium est, quin a regibus provocatio fuerit ad populum h. e. ad patricios Cic. de rep. II. 31. Liv. I. 26.

Altera causarum publicarum actas incipit a rege Tullio, comitiorum centuriatorum auctore. Quo instituto quum patricii et plebeji tanquam ad unum populum conflati essent, ad eum post reges exactos judicia publica lege Valeria de provocatione videntur translata esse. Verum id quod et legibus sacratis et duodecim tabulis sanctum erat, ne de capite ciyis nisi comitiis centuriatis rogari liceret, sitne jam a Servio rege profectum et lege Valeria renovatum, an lege Valeria demum effectum, in dubio est nec potest historiae fide comprobari. Liv. II. 41.

Propius autem est fidem vel potius constat, comitia curiata post regem Servium nunquam de capite civium judicasse ne patriciorum quidem, quum illud concilium populi Liv. VI. 19, apud quod Manlius Capitolinus causam dixit, ad comitia tributa sit referendum.

Jam tertia illa causarum publicarum aetas a lege Junia incipit, qua lege legi sacratae lanta vis accessit, ut, qui tribunum plebis dicto factove laesisset, non solum ut sacer impune necaretur sed etiam comitiis tributis, h. e. a plebe, quacunque poena plibi videretur vel etiam suppicio afficeretur. Hinc igitur primordia judiciorum plebis sunt profecta, quae quidem, ut par fuit, multo angustioribus terminis circumscripta erant, quam centuriatorum. Nec enim fere aliae res nisi quibus jus plebis imminuere vel laederetur, eorum judicio subjiciebantur. Attamen judicia plebis tribunorum acrum atque fortium opera fines exiguo, quibus ab initio continebantur, egressa plus in dies juris ad se rapiebant, nec igitur a re alienum esse ducimus de generibus causarum, quae solebant judicari a plebe, pauca dicere. Atque retinuerunt jus statuendi de capite vel exsilio eorum, qui leges sacratas violassent, ut Appii Claudii Liv. II. 61. Deinde plebs in eos, quibus rei capitalis dies dicta erat, quum ante diem praestitutam in exsilium abiissent, aquae atque ignis interdictionem constituebat, ut facultatem redeundi in patriam iis eriperet, ut Marcio Coriolano Liv. II. 34. Et permisit nonnunquam senatus plebi judicium de capite civis, si pertimescendum esset, ne reus a populo centuriatim citato liberaretur, ut de M. Mantio Capitolino. Longe vero plurima judicia siebant a plebe de reis, quibus multa irroganda erat, nec tamen raro tribuni etiam de gravioribus delictis, ut de perduellione, quippe quibus quum ad universam rempublicam pertinerent, etiam plebis commodis officeretur, plebem tributim vocabant.

Ex quo autem centuriae cum tribibus confluxerunt, idque haud ita multo post Decemviratum ex republica sublatum factum esse propabile est, Conf. Peter. hist. Rom. I. p. 182, et Halimii excusum ad Cic. Phil. II. 33. — nec enim dubitari potest, quin ex anno 241, quo anno triginta quinque tribus esse coeperint, centuriae numerum confecerint trecentarum quinquaginta — illud discrimen utriusque generis comitiorum jam non apparuit.

Cap. III.

De actione causarum publicarum comitiorum propria.

Initium actionis erat diei dictio. Ac dicebat diem magistratus, si res ageretur apud populum, Consul vel praetor, sin ad plebem, tribunus vel aedilis, nec licebat his posterioribus centuriatis accusare, nisi eorum rogatu a magistratibus majoribus comitia vocata erant. Magistratus igitur diem reo dicebat, h. e. denunciabat, se certa die eum accusaturum. Nec vero id prima die fieri licebat, sed ter dies prodicebatur, sive diei dictio intermissio temporis spatio ter repetebatur et quarta demum die res agebatur, id quod apparet quum ex multis Livii locis, tum ex loco Ciceronis p. dom. 17. „tam moderata judicia populi sunt a magistratibus constituta, ut ne nisi prodicta die quis accusetur: ut ter ante magistratus accusest intermissa die quam multam irroget aut judicet: quarta sit accusatio trinum nundinum prodicta die, qua die judicium sit futurum.“ Quibus ex verbis liquet, moris fuisse ut magistratus tribus deinceps mundinis, sive ter per septemdecim dies accusationem repeteret et quarta demum die causa ageretur. Ea diei dictio ter repetita habebat anquisitionem Liv. 26. 3., quae fuit ea pars accusationis, qua poena pro ratione delicti a magistratu constitueretur; anquirebat autem magistratus aut capite aut pecunia, qua in re licebat reo dicere ad populum sibi conciliandum, vel eum qui accusabat precibus movere, ut ab accusatione recederet. Atque magistratu postulante vadimonium debebat promittere reus h. e. vadibus sive sponsoribus dandis promittere, se die praestituta ad judicium affuturum. Quod si recusaret, custodiae sive vinculis tradebatur Liv. III. 13., XXV. 4. Cic. in Verr. V. 8. Quodsi aut reus solum verteret, aut tribunus aliquis intercederet, aut accusator a causa recederet, causa instituta aut ampliari aut omitti poterat. Sin vero nihil ejusmodi esset in mora, quin causa ageretur, reus ueste mutata cum cognatis et affinibus item sordidatis solebant misericordiam populi commovere Liv. VI. 20. Tum demum quarta die quum populus vocatus esset, reus citabatur. Qui si se non sisteret, quum exsulatum jam ivisset, aqua et igni ei interdicebatur; si ignoraretur, vertissetne jam reus solum necne, aut de poena ab accusatore constituta suffragium inibatur, aut dies longius

prodicebatur. Liv. XXV. 4.; si excusaret reus morbum aut aliquam justam rem, cur abesset, nova dies praestituebatur. Liv. XXXVIII. 52. Si vero is, qui postulatus erat, adesset atque sub rostris staret, quum magistratus, qui accusabat rogationem in reum latam recitaverat, reus aut ipse causam dicebat aut, quod tamen raro siebat, per patronos defendebatur. Liv. XXXVIII. 58.; interdum etiam siebat, ut amici rei laudatores prodirent et merita decoraque et rei ipsius et familiae ejus laudibus efferentes eum populo commendarent. Liv. III. 12. Deinde testibus interrogatis literis tabulisque et quae ad probandum perlinebant, prolati populus in suffragium mittebatur; postremo, prout suffragiorum latio exitum habuerat, aut condemnatio aut liberatio aut ampliatio pronuntiabatur. Condemnatum poena statim sequebatur.

Cap. IV.

De quaestionibus extraordinariis.

Res capitales igitur comitiis judicabantur, eademque multitudo potestatem et judicandi et legum, quibus delicta coercentur et punirentur, rogandarum habuit. Unde id percommode fluxit, quod quum delicta, de quibus etiam tum leges essent nullae, in judicium venirent, genera delictorum nova ad jus receptum accedebant. Quae quum ita sint, quamquam non potest dubitari, quin comitiis jus exultum magis sit et perfectum, tamen incommoda, quae ex judiciaria multitudinis potestate redundarunt, haud sane sunt contemnda. Ac primum quis est, quem fallat, actionem comitiorum non ita expeditam, immo tardam atque molestam fuisse, nec raro in tantis patrum ac plebis discordiis iram atque studia intervenisse et jus, quum non solum factio[n]es que yim haud mediocrem haberent, sed etiam viri summi auctoritatem suam non raro interponerent, ex causis et personis saepe variasse? Huc accessit, quod populus tanta delictorum in dies crescente multitudine obruta est, ut rebus judicandis jam non sufficeret. Quod quum in dies magis sentiret, populus quaesidores eligere coepit, qui quum quaestioni praefecti essent, pro populo judicarent. Hinc repetendum est initium quaestionum extraordiniarum. Atque in iis quidem causis, quarum judicatio penes Senatum erat, senatus quaestiones decernebat, quum vel consulem vel praetorem vel dictatorem quaestionibus exercendis diceret. Liv. IX. 26. At si causa apud plebem esset agenda, aut rogatione facta plebs senatui mandabat, ut decerneret, quem de magistratibus vellet quaerere, ut lege Petilia factum est. Liv. XXXVIII. 54. et rogatione Marcia. Liv. XLII. 22. aut lege permittebatur arbitrio plebis, quem vellet quaestioni praeficere, ut lege Mamilia Sall. Jug. 40; nec desunt exempla, ex quibus intelligi pos-

sit, nonnunquam senatum, quum placuissest quaestionem habere, addidisse, quid potissimum quaesitores sequerentur sive judicij formulam. Liv. XXXI. 12. Atque quaesitores solebant consilium habere, quo adjuti judicabant. Liv. XXIX. 20. Quibus ex quaestionebus, quae extra ordinem fiebant, in dies populo gratioribus et magis acceptis, quippe quibus onus grave de cervicibus multitudinis dejiceretur, paulatim quaestiones profectae sunt perpetuae nec tamen ideo quaestiones illae extraordinariae abrogatae sunt; immo vero remanserunt ad eas causas judicandas, quibus nulla quaestio perpetua esset iustitia. Ita lege Pupia Valeria auctoritate pontificum senatus quaestionem de pollutis sacris in Clodium decrevit eamque extraordinariam, quum judices non sortitione darentur sed a praetore ederentur, qui de incestu judicarent. Cic. ad Att. I. 13. 16. Praeterea etiam descendebant ad ejusmodi quaestiones, si in delicta gravius quam per legem quaestioni perpetuae fieri liceret, vellent animadverti, ut lege Pompeja quaestio de caede Clodii extraordinaria in Milonem decreta est.

Cap. V.

De quaestionibus perpetuis.

§ I.

De institutione, incremento, praesidibus quaestionem perpetuarum.

Quaerentibus nobis quando judicia a comitiis ad quaestiones translata sint perpetuas, eam mutationem constat non uno tempore neque subito factam esse, sed pedentim, prout ujus postularet. Perpetuae autem vocantur, quia annuae erant et ad discriminem earum, quae antea in singulas causas et ad tempus institutae erant; atque eas multis de causis praestitisse judiciis comitiorum primo obtutu apparer. In locum enim populi mutabilis nec raro factionibus lacerati successerunt judices annui, qui certis legibus et praescriptae juris normae addicti, nulla alia delicta nisi quae lege quaestioni continerentur, perseverent nec poenas nisi lege praescriptas constituerent. Ac prima quidem quaestio fuit repetundarum lege Calpurnia 149 a. L. Calpurnio Pisone Frugi sociorum causa constituta. Eamque cum decursu temporis aliae et suis quidem propriisque legibus constitutae quaestiones secutae sunt, quarum numerum Sulla potissimum auxit, ita ut Ciceronis tempore octo conficerent. Erant autem quaestiones repetundarum, majestatis, peculatus, ambitus, ad quas accesserunt: inter sicarios, veneficium, vis, falsum. Cic. de nat. D. III. 30. et pro Clu. 53, ubi de generibus quaestionum uberius disputatur. Atque priusquam res in judicium veniret, videndum erat praetori,

7

ex quo genere delictum esset, ut posset ad suam quodque quaestionem deferri, nec raro usu venit, ut pro diversa interpretatione unum idemque delictum ad complures leges ideoque ad complures quaestiones posset revocari. Singulis autem quaestionibus praesidebat quaesitor, qui vel praetor vel judex quaestionalis erat, ut liquet ex verbus Cic. in Verr. I. 10. „Quaesitor est, quicunque quaestioni capitali praeest, sive is praetor est, sive non est.“ Praetores enim sex Cic. p. Mil. 15, quorum numerus a Sullu duobus auctus est, sortiebantur quaestiones, quibus quisque praeesset. Duobus autem jurisdictionem habentibus privatam, quum reliqui sex, qui causas publicas agebant, quaestionalibus publicis non sufficerent, complures judices quaestionalis accesserunt, Zumpt ad Verr. I. 61, qui quum in singulas, quarum essent quaesitores causas, antequam id munus susciperent, jurarent, et ipsi tum, quum quaestionem haberent, in judicium vocari possent non magistratus, sed adjutores praetorum fuisse nec a populo creati sed ex albo judicum electi videntur. Atque moris fuit, ut unus praetor vel judex quaestionalis unam quaestinem exerceret, nec si interdum unus duabus quaestionalibus praeerat, id aliam ob causam factum esse videtur, nisi quod praetor alterius quaestionalis vel in morbum inciderat, vel tot causis suaे quaestionalis distentus erat, ut solus onus sibi impositum sustinere non posset. Ita Cn. Domitius Calvinus eodem tempore quaestionalem habuit de vi Cic. p. Cael. 13., et de ambitu — Cic. ad Q. fr. II. 3. 13. nec rursus singulæ quaestiones plus unum praetorem habuisse videntur praeter unam inter sicarios, in qua duo praetores commemorantur Cic. p. Clu. 53., quod aut legitimum et ordinarium fuit, aut ideo factum est, quod tum causarum multitudo huic quaestionali delata fuit tanta, ut unus omnibus agendis par non esset; et sane est veri simile, lege qua quaque quaestio constituta erat, etiam si quid ejusmodi extra ordinem eveniret, satis provisum fuisse.

§ 2.

De judicibus, qui in quaestionalibus perpetuis considebant.

Quarentibus nobis, cuius ordinis judices, ex quibus constabat consilium praetoris, fuerint, illius judiciariae controversiae paucis est mentio facienda, quae non minora certamina quam illa, quae fuit de agro publico, commovit. Atque ab initio quidem quaestionalibus perpetuis constitutis praetor urbanus album judicium ex ordine senatorio selectorum quotannis proponebat — Cic. p. Clu. 43. — nec fuit quidquam quod retinere plus senatus interesset, quum senatores de iis, qui provinciis praefuerant, item senatoribus, si repetundarum aut peculatus postularentur, judicarent; idque jus praecipuum usque ad C. Gracchum obtinuerunt; qui quum judicia senatoria corruptelis infamata maxima flagrarent invidia, id novavit in judiciis, ut pro trecentis illis senatoribus

totidem equites plebejos eligeret, qui judices essent. Horum enim ordo, divitiis in provinciis negotiatione et mercatura paratis praepollens, novus in republica exstiterat neque tamen quum ob censem solum quadringenorum millium a censoribus adscriberentur equitibus, sunt confundendi cum illis sex suffragiis equitum, qui filii senatorum equo publico merebant. Indiciis igitur ad equites translatis, si quis putat ea re provinciis ac sociis melius esse consultum, magnopere errat; nam neque contra injurias ac vexationes equitum ex feneratione ac vettigalium, quae equites redemerant, exactione profectas, jus suum Romae persequi neque ut equites condemnarentur, efficerent poterant et senatores, qui praeerant provinciis, dummodo rapinis equitum indulgerent, si ipsi postea repetundarum postularentur, non minus facile quam antea libabantur. Inde ab illa judiciorum translatione coepit est de possessione quaestionum acerrime pugnari nec fere desitum est antea, quam quaestiones sublatæ sunt. Jam quam celeres mutationes judicia subierint ex duabus legibus eodem nomine inscriptis illis, sed inter se contrariis liquet, ex legibus Serviliis, quarum altera lata est a Q. Servilio Caepione, consule 106, qua lege judicia equitibus ademta ad Senatores rursus translata sunt — Cic. de Or. II. 48. Brut. 44. Et mirum sane videri potest, eam legem minime popularem illo ipso tempore, quum opes populares per Marium maxime vigere inciperent, perlata esse. At ea res nihil admodum admirationis habebit, si meminerimus, Metellum illo tempore ex Numidia reducem ob virtutes singulares non solum cognomine Numidici et honore triumphi decoratum esse, sed etiam ob id ipsum tanta floruisse gratia populari, ut auctoritati ejus multitudo hanc gravate de translatione judiciorum cederet. Conf. Peter hist. Rom. p. II. p. 78. Nec tamen senatus ea diu relinuisse videtur, quum altera lege Servilia a Servilio Glauclia, cuius praetura anno 100 turbulentissima fuit, judicia equitibus reddita esse suspicari liceat, quod quidem satis constaret, nisi hanc legem praescriptione sua ac forma propius accedere ad legem repetundarum quam ad judicariam primo aspectu pateret. Praefinitur enim ea, quo ne plus magistratibus pecuniam accipere liceat et cavetur ne quis senator judix sit. Itaque quum haec altera Servilia ad repetundas solas pertineat, illam translationem judiciorum ad ordineam equestrem alia lege, cuius nec tempus nec auctorem novimus, factam esse conjectura assequi possumus. Id certe, judicia apud equites a Graccho usque ad Sullam per quinquaginta fere deinceps annos pauculis annis illis inde ab consulatu Servilii superioris exceptis mansisse historiae fide comprobatur. Cic. in Verr. I. 13. nam de M. Livii Drusi tribuni lege anno 91., ut senatui trecentis equitibus aucto judicia redderentur, vix attinet uberioris dicere, quum ea perlata esse non videatur. Sulla vero, quum opes optimatium firmare vellet judicia senatoribus reddidit, quae quum mox vetere infamia denuo flagrarent, Pompejus post tribuniciam potestatem restitutam quum non minor de judiciis exarsura videretur contentio — Verres enim illo ipso

tempore inter reos receptus erat — per L. Aurelium Coltam praetorem lege Aurelia judicia inter senatores, equites, tribunos aerarios aequabiliter divisit — Cic. ad Att. I. 16., ad Q. fr. II. 6., Phil. I. 8. Hos autem judices tertii ordinis, sive tertiam quam vocant decuriam, Caesar quum opes sonatus novo vellet augere incremento sustulit. Suet. Caes. 41. Postremo Antonius ad gratiam popularem sibi colligendam eodem die, quo Cicero primam Philippicam habuit, legem promulgavit, qua tertiam judicum decuriam a Caesare sublatam, ita restituit, ut in his judicibus eligendis census a Pompejo prae- finiti. Conf. Halm. ad Cic. Phil. I. 8., ratio haberetur nulla, qua lege Cic. queritur, Antonium faece plebis et hominibus sui studiosis subsellia judicum referuisse Phil. VIII. 9., XIII. 2. Controversia judiciaria jam breviter exposita restat, ut de numero judicum pauca dicantur. Atque initio quidem quum quaestiones admodum paucae essent, suum quaeque quaestio lege qua constituta erat, definitum judicum numerum habuit, velut in quaestione de repetundis ex lege Servilia quadringenti quinquaginta judices considebant. Postea vero numero quaestionum paulatim aucto omnium judicum, quos praetores per annum in consilium mittebant, album proponebatur, ex quo in singulas quaestiones idoneus judicum numerus eligebatur. Sed neque quot judices singularum quaestionum fuerint neque omnino, fuerint certus cujusque quaestionis numerus, constat. Quae quum omnia sint dubia nec ex fontibus, qui exstant, quidquam pro certo affirmari possit, aliam aliis temporibus ejus rei rationem fuisse veri simile est. Itemque de numero judicum, qui in singulis causis ad consilium adhibebantur haud parva ex causis quas novimus proficiscitur discrepantia ac varietas; id quod ex enumeratione paucarum causarum perspicuum fiet; nam in causa Pisonis conserderunt septuaginta quinque judices Cic. in Pis. 40., in Milonem quinquaginta unus, in Scaurum et Gabinium septua ginta Cic. ad Q. fr. III. 4.

Cap. VI.

Actio causarum quaestionum perpetuarum propria.

Omnium primum de loco, ubi quaestiones habebantur, pauca dicere aggrediar. Ac vocabulum de hoc loco proprium est tribunal. Erat autem tribunal locus editus sive suggestus forma quadrata, ex lapide vel ligno extrectus, ad quem per gradus ascendebatur, ubi sedebat praetor vel is, qui praesidebat judicio. Nec ab initio spatium in tribunali ita magnum fuisse videtur; paulatim vero, quum praeter sellam praetoris curulem positam et amici et, quos sibi in consilium advocaverat, et scribae cum praetore una sederent Cic. Brut. 84., de Or. I. 37., non potuit non ampliari atque

dilatari. Et numerus tribunalium, postquam quaestiones perpetuae augeri sunt coepiae, paulatim crevit. Erant autem omnia in foro exstructa nec opera atque subselliis illis circumdata, in quibus judices, accusator, reus, patroni advocaticae suo quisque loco sedebant. Circumstabat autem corona eorum, qui audiebant Tusc. III. 20. Sed haec quidem de loco, ubi judicia siebant. Initium autem actionis ipsius proficiscebatur a postulatione. Accusator enim postulabat a praetore, ut sibi liceret nomen ejus, quem econdemnari vellet, deferre Cic. ad Div. VIII. 6. Nec raro siebat, ut certamen inter complures accusatores existeret, cui potissimum delatio daretur. Quod si ita esset, tum descendebatur ad divinationem, quam vocabant, sive ad actionem de constituendo accusatore. Quae appellatio unde repetenda sit, valde ambigitur. Ac sunt qui dicant, id quod simillimum est veri, divinationem inde appellatam esse, quod judices, quum leges ac testimonia alias sequerentur, de accusatore constituendo nisi rei futurae indicis judicare et paene divinare non possent, quem ad accusandum maxime idoneum haberent; aliis autem alia hujus vocabuli interpretatio probatur, quos missos faciamus. Hac via igitur is reperiebatur, qui princeps esset in agendo, qui suo nomine accusaret ceterisque, qui item actionem postulaverant, locum subscriptorum relinqueret; sic enim vocabantur, qui principem illum tanquam primarum partium actorem in accusando ita adjuvarent, ut si quid ab eo praetermitteretur, ipsi postea id dicere; quorum de numero nihil constat, nec tamen videntur unquam plus tres subscriptisse. Sed accusatore constituto res veniebat ad delationem nominis. Eam ab initio et re et tempore diversam fuisse a postulatione, quum ex aliis testimoniis, tum maxime ex. Cic. ad div. VIII. 6. liquet; postea vero, quin utrumque vocabulum in eadem re positum sit, dubitari nequit; quocirca perraro fit postulationis mentio et ubi legitur, ex ea significative, in qua quasi natum sit, exiisse et vim delationis sibi adscivisse videtur. — Cic. in Vat. 14., ad Q. fr. III. 1. 5. Cum delatione fere conjuncta erat interrogatio, quae siebat, si reus in delatione adisset. Licebat enim jam tum accusatori reum de rebus, quae essent ad causam agendam maximi ponderis, breviter interrogare Cic. in Ver. I. 2. Eam vero excipiebat inscriptio; debebat enim praetor vel judex quaestionis, quid faceret causam quidque veniret in judicium, breviter in tabulis consignare vel periculum quaestionis confidere, quod item ab accusatore subscribebatur. Conf. Ascon. in Mil. 55., eaque inscriptio referebatur in tabulas publicas sive in codicem quaestionis Cic. in Verr. II. 41. 43. Eam autem in actione religiosissime sequi debebant praetor et judices, ita ut reum absolvi necesse esset, si crimen illo, quod inscriptione positum esset, non teneretur sed alio nomine reus esset. Postremo a praetore nomen recipiebatur inter reos, in qua nominis receptione et dies cognitionis futura praestituebatur; is erat dies post receptionem, prout res postulabat, vel decimus, vel trigesimus vel contesimus; quin etiam Cicero ad causam instruendam inquisitionis tempus in Siciliam

sibi postulavit centum decem dierum ad literas ac testimonia in Verrem conquirenda. Cic. p. Rosc. A. 10., in Verr. II. 38. Tum quum dies cognitionis venerat, causa apud judices agebatur. Actio autem ipsa incipiebat a citatione rei et accusatoris per praeconem facta Cic. in Verr. II. 40. Quodsi reus non adesset, non ille quidem absens condemnabatur, id enim per leges fieri non potuit, ut quisquam indicta causa damnaretur; sed si reus fuga se eripuisse, ne causam diceret, ea fuga aqua et ignis interdictione adjecta pro justo exsilio habebatur. Cic. in Verr. II. 17. At si adesset in judicio, mutaverat autem, ut moris fuit, vestem ad misericordiam movendam, judicium constituebatur. Id fiebat vel sortitione vel editione judicum; atque illa quidem ordinaria, usitator certe editione fuisse videtur. Ex albo enim judicum selectorum praetor ex urna sive sitella, in quam judicum nomina conjecta erant, tot nomina educebat, quot legis cuiusque actione ac formula exacte definita erant. Numerus vero eorum, qui post sortitionem vocabantur delecti pr. Mur. 39., in Vat. 11., ut jam supra dictum est, pro causarum genere ac pro tempore admodum variabat. Tum fiebat rejectio judicum alternorum h. e. licebat et reo et accusatori certum eumque singulis legibus praestitutum numerum rejicere, in quorum locum praetor alios subsortiebatur, dum numerum necessarium conficerent. Cic. in Verr. I. 10., pr. Clu. 33. Perraro autem nec fere nisi in lege Licinia de sodalitiis commemoratur editio judicum, quos accusator eligebat, quod genus judicii Cic. p. Planc. 15., acerbum et iniquum increpat. Conf. Cic. p. Sull. 33. A quo diversum fuit alterum editionis genus a praetore factae, de quo paulo uberioris videtur disputandum esse. Atque adhibitum est in causa Clodii de incestu postulati, Conf. Peter. hist. Rom. p. II. p. 220. Praeterea autem in lege Servilia de repetundis editioni aliquid loci fuisse legimus. Eam quidem legi repetundarum similiorem esse quam legi judicariae jam supra est dictum. Attamen et de editione ac de rejectione alternorum judicum, quae hac lege provideantur, cognoscere operae pretium fuerit. Praesinitur quidem ea lege, quo ne plus pecuniae magistratibus a civibus, sociis, peregrenis accipere liceat, qui plus accipiat, ut ejus nomen repetundarum deferatur, sed item adjicitur, ut si nomen receptum esset, a praetore 450 judices ita ederentur, ut nemo senator, nemo plus sexaginta annos natus, nemo minor triginta annorum esset. Ex quo judicum numero utrinque centeni eligerentur, ex quibus quinquagenos rejicere liceret, ut judicium ex centenis judicibus constaret.

Jam ut eo redeat, unde hic digressa est oratio, rejectione facta, quum judicum, qui conslituebant judicium, nomina a pratore in libellos sive tabellas relata erant ipsique juraverant Cic. in Verr. I. 6., actio quae proprie vocatur, sequebatur. Oratione enim perpetua et causa explicabatur ab accusatore ejusque subscriptoribus et a reo dicebatur. Cic. in Verr. I. 11., idemque fiebat a patronis vel advocatis nec raro complures patroni unius rei patrocinium suscepserant, ut pro Murena Hortensius, Crassus, Cicero. Atque per multos annos tempus ad dicendum liberum fuerat neque ullis

circumscriptum terminis, quum vero ea libertate haud raro abuterentur ad diem dicendo eximendum reumque tali modo ampliandum Cic. p. Tull. 6., tempus legitimum legibus praefiniri oportuit, ejusque rei auctor fuit Pompejus, qui quo causarum actionem magis acceleraret, singulas causas spatio quadridui terminavit, ita ut per tres dies testimonia dicerentur, quarto die accusatori binae horae, reo ternae ad perorandum darentur, do Fin. IV. 1. eodemque die judicium pronuntiaretur. Ac temporis quidem spatium, quo longius dicere non liceret, clepsydra definiebatur, de Or. III. 34., quam mensuram nisi permisso praetoris egredi non licebat. Quum utrinque peroratum erat atque praeco verbo „finem dicendi fecerat, in Verr. II. 30., jam ad altercationem veniebatur, qua brevibus interrogationibus responsisque, ultiro citroque datis et acceptis res minus perspicuac illuminarentur. Eam autem actionis partem excipiebat probatio, quae posita erat in confessione, testimoniis, tabulis literisque indicis a seribis suo loco recitatis. Nec raro audiebantur laudationes, quibus rei a viris honoratis vel ore vel per literas publice afficiebantur, quibus sane jus interdum flexum esse constat. Tum judices sententiam dicebant, videretur ne reus crimine lege quaestionis designato teneri necne. Ratio autem sententiae ferendae, quae quidem legibus tabellariis instituta erat, legitima haec fuit, ut unicuique judicum ternae tabellae darentur, ex quibus una litera C., altera A., quarum illa tristis, haec salutaris vocatur p. Mil. 6., tertia N. L. inscripta erat. Ut quisque de reo sentiebat, ita unam tabellam et nudis quidem brachiis literam digitis obtegens conjiciebat, nec ita multo post tabellis numeratis eam sententiam, quae ex plurimis tabellis profecta erat, praetor pronuntiabat. Quodsi plurimi judices tabellam N. L. inscriptam dedissent, causa prodicebatur sive siebat ampliatio. Praetor enim de consilii sententia dicebat, amplius cognoscendum esse Brut. 22. p. Caec. 10. Id amplius in quaestione de repetundis comperendinatio vocabatur, qua in altera actione causam denuo ampliari non licebat. Glauca enim primus tulit, ut comperendinaretur reus, antea autem vel judicari prima actione poterat vel amplius pronuntiari, in Verr. II. I. 9. Atque si reus condemnatus erat ad damnum de suo reparandum, judices item aestimabant h. e. computando efficiebant, quantum pecuniae reo litis nomine solvendum esset; idque saepissime usus venisse in repetundis et peculatu per se liquet. Judicium autem a praetore pronuntiatum pro re judicata erat, in Verr. II. 2. 9., nec poterat ab eo provocari. Sine mora poena constituta exigebatur. Is, cui aqua et igni interdictum erat, nisi jam ante rem judicatam solum verterat, quam celerrime urbem relinquebat, sin multa constituta erat, nisi properabat solvere, bona ejus publicabantur. Qui vero absolutus erat ejusdem causae iterum arcessi non poterat. Supplicium autem in civem Romanum, nisi forte parricidii reus erat, in quaestionibus constituebatur nunquam. Postremo is, qui condemnatus erat, a nullo nisi a populo quum lege rem judicatam rescindebat, in integrum restitui poterat, nec rara sunt exempla restitutionis Liv. V. 46. Cic. p. Clu. 36.

Pars II.

D e generibus causarum publicarum.

Cap. I.

De partitione criminum.

Priusquam de partitione criminum dicamus, prooemandi causa ad notationem vocabuli criminis praevertamur, ut quae sit propria ejus vis quamque late pateat perspiciamus. Ac quum nemini dubium esse possit, quin ducatur a verbo cernendi *χρίνειν*, proprie id est, de quo cernitur. Est igitur id, de quo et praetor cognoscit et judices decernunt h. e. res vel causa quae lege agitur, ut crimen Scandilianum Cic. in Verr. III. 61. Quum autem sine accusatione decerni non possit, ea vis ut sit insimulatio longe frequentissima est, quae elucet ex multis locutionibus, ut: crimen ambitus, criminis delatio, crimini dare, crimen teneri etc. Quod quum ita sit, de initio accusationis, vel quod eodem reddit, de insimulatione proprie dictum esse appetet. Quod quum accusatio nisi jure antea laeso esse non possit, jam crimen pro scelere ipso, nec tamen a Cicerone dicitur.

Quibus praemissis jam ad id, quod est hujus institutae quaestionis, aggrediamur, ad partitionem criminum. Quorum duo discernuntur genera. Possunt enim scelerata committi aut in singulos cives reipublicae, aut in societatem universam atque pacem fidemque publicam. Ac primum quidem genus, quibus singuli ita laeduntur, ut pro publicis sint, quum respublica ea in se ipsam commissa interpretetur, dividitur in quatuor partes: pertinent enim vel ad bona aliena, ut furtum, rapina, vel ad alienam existimationem, ut injuria, vel ad alienam libertatem, quod fit plagio, vel ad aliorum vitam ac valetudinem, quod fit caede et parricidio.

Alterum genus est eorum, quibus periculum universae societati afferatur. Ea possunt committi aut in rempublicam universam, ut ab iis, qui perduellionis vel majestatis crimine tenentur, aut sunt delicta, quae in reipublicae administratione fiunt, quae sunt tria: repetundae, peculatus, ambitus; aut quibus pax fidesque publica perturbatur, quod sit vi, incendio, falso, perjurio.

Itaque partitione proposita, jam de singularum partium criminibus ita dicam, ut quae ad intelligentiam discipulorum Ciceronis scripta legentium accommodata sint, paucis illustrem. Atque incipiam ab eo gerere, quod quum tanquam materies longe plurimis orationibus sit subjectum, adolescentibus notum ac pertractatum esse debet; ab iis scilicet sceleribus, quibus societas reipublicae universae in discrimen vocetur, eaque quum tribus partibus contineantur, de prima primum breviter agam. Ea pars autem quum versetur in criminibus perduellionis et majestatis, de iis jam aggrediar dicere.

Cap. III.

Crimen perduellionis.

Ac primum queritur, quid sit perduellio, quae quo planius definiatur, originem verbi respici oportebit. Est autem conflatum ex particula „per“ fortiore intellectu pro „perquam“ sive „admodum“ posita et ex duello, quod antiquitus dictum est pro bello. Perduellis igitur fuit hostis externus illo tempore, quum hostis in peregrino solo dicebatur. Quum vero postea „hostis“ de iis, qui arma contra rempublicam ferrent, diceretur, vocabulum perduellis coeptum est ponи in eo, qui quum esset civis, hostilem in modum ageret in rempublicam, sive rebus novis studebat, sive proditionem meditabatur, sive denique ita se gerebat, ut inde in communem salutem tranquillitatemque mala redundare possent. Sed discedamus ab iis, quae sub regibus perduellionis nomine judicata ac vindicata sunt, nisi forte supplicium de perduellibus sumtum Liv. I. 26. dignum videtur, quod legatur. Percurramus potius ut properantes, quae exstant perduellionis genera in civitate libera.

Ac prae ceteris id, quod ex odio in regnum suscepto facile explicari potest, regnum affectatum sive suspicio regni appetendi in perduellionibus fuit. Nam lege Valeria is sacer fuit, qui regni occupandi consilia inisset. Liv. II. 8. Eamque ob causam perniciosissimae habebantur res, quibus via ad regnum muniri posset; quocirca severissime cautum erat, ne quis populum sevocaret, ne quis extra urbem concionem haberet, ne recessio fieret, ne forte temere cives coirent, ne coetus nocturni essent. Liv. II. 28., VII. 16. Praeterea in hoc genere sunt, si quis potestatem sibi arrogaret

eave abuteretur, si quis verberasset necassetve civem Liv. X. 9. Cic. de rep. II. 36. Sacrario etiam capitis proposita erat, si quis tribunis plebis aedilibusve nocuisset Cic. de leg. III. 4. Atque haec quidem scelera in republica ipsa nascebantur, quibus adjungenda sunt ea, quae tanquam extrinsecus illata saluti communi perniciosa viderentur; nec erat ullum proditione majus. qua quis patriam, oppidum, cives hostibus tradere vellet, neque minus capitale erat, ad hostes perfugere hostemque in patriam concitare eumque armis, pecunia aliave quavis ratione adjuvare Liv. VIII. 37. Ejus modi facinora, qui in se admiserant, vel ex arbore infelici suspendebantur, vel de rupe Tarpeja dejiciebantur, vel securi percutiebantur. Liv. II. 5. VI. 20., nec raro post mortem ignominiae causa accedebat bonorum publicatio, aedium eversio, ne quis interfectum lugeret, interdictio Liv. III. 13. 16. Cic. p. dom. 38., ne quis postea ejus nomen ferret Liv. III. 20. Cic. Phil. I. 13., quae erat memoriae damnatio. Postea vero, quum legibus cautum esset, ne civis suppicio afficeretur, quamquam ea poenae mitigatio non pertinebat ad perduellionem, tamen aquae et ignis interdictione etiam ii, qui perduellionis convicti erant, pletebantur. Itaque postquam Romani, quum a fera agrestique vita ad cultum humanum civilemque deduci coepti essent, a suppicio in dies magis abhorruerunt reique atrocitatem aquae et ignis interdictione mitigarunt, factum est, ut, quum perduellionis crimina antea latissime patuissent, usu et consuetudine alia delicta quibus salus reipublicae, alia quibus dignitas in discrimen adduci videretur, esse vellet. Hinc natum est crimen aliquanto mitius imminutae majestatis. Eo in dies magis invalesce, quum quae ante perduellionis fuissent, actione mutata vel ad hanc vel ad crimen de vi transferrentur, perduellionis actio paulatim in oblivionem adducta est, dum lege Julia et quae salutem, et quae majestatem publicam nocitura viderentur, in unam legis actionem et formulam coalescerent. In hanc rem afferri potest causa Rabirii ad demonstrandum quam nova atque inaudita posterioribus temporibus perduellionis delatio fuerit Conf. Peter. hist. R. p. II. p. 201.

Cap. III.

De criminine imminutae majestatis.

Quid sit majestatem imminuere vel, quod idem est, laedere perspicuum fiet, quum praeter originem vocis, quibus potissimum rebus majestas tributa sit, cognoverimus. Nec est dubium, quum a comparativo obsoleto „majos“ repetatur idque significet, quod modum magnitudinis consuetum excedat ac notum, quin prae ceteris Deorum sit majestas Cic. de Div. I. 38. Hinc transiit ad rempublicam populumque qui eam

regit. Est igitur amplitudo ac dignitas civitatis, de Or. II. 39. nec fere dicitur de senatu, cuius quum sit ordo amplissimus, propria est auctoritas Cic. Phil. III. 5. Postea a populo transiit ad Caesares et est ubi magistratibus summis atque imperatoribus concessa reperitur ut Liv. IV. 5. dictatori tribuitur et Phil. XIII. 9. consuli designato. Majestatem igitur imminuebant, qui ita se gerebant, ut amplitudini, dignitati, existimationi, qua foris uteretur res publica, officerent; idemque fere apud Cic. de inv. II. 17. legimus: „majestatem minuere est, de dignitate aut amplitudine aut potestate populi, aut eorum quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.“ Quod crimen quemadmodum natum et quo consilio receptum sit, ne scilicet si perduellionis arcesserentur, graviore quam pro delicto poena afficerentur jam superiore capite explanatum est. Satis igitur sit de legibus majestatis pauca addere.

Atque antiquissima fuit lex Appuleja, a L. Appulejo Saturnino iterum tribuno anno 100 lata. Ea lege quum plebem contra omnes impetus, undecunque venirent, munire vellet, cavit, ne quis tribunum laederet neve seditionem moveret, quod qui fecisset, eum majestatis crimine teneri; altera autem legis parte formula laesae majestatis universa ita continetur, ut nulla definitio accuratior adjiciatur. Hac lege Antonius causam dixit C. Norbani, qui duos tribunos de rostris dejecisset et optimates Servilio Caepioni fortiter succurrentes vi ac lapidatione depulisset. Negabat vero Antonius vim factam esse, ex quo verbo lege Appuleja tota illa causa pendebat Cic. de or. II. 49. Hinc suspicari licet, legem Appulejam, quum nihil admodum certius definiret, et accusatoribus et patronis augendi minuendive criminis spatium dedisse haud parvum; deflectat igitur oratio ad alteram legem angustioribus iisque certioribus terminatam finibus, ad Variam, a tribuno illo, qui existimatur Livii Drusi percussor fuisse, Q. Vario Hybrida anno 92. contra eos, quorum ope consiliove socii contra populum R. arma cepissent, perlatam. Hac lege M. Aemilius Scaurus postulatus est, quod socios ad arma coegisset et reipublicae prodendae causa a Mithridate pecuniam accepisset. Val. Max. III. 7. Nec multo post secuta est anno 80 lex Cornelia, quam Sulla dictator tulerit, quo melius rempublicam suis legibus constitutam ab hominibus novarum rerum cupidis tutaretur, nec tamen ea lege, quamquam superioribus latius patet, notio majestatis laesae definitionem habuit sc̄enter proprieque expressam, quo circa et hac lege ex enjusque interpretatione pendebat, quid esset majestatis idque quam fluxum variumque fuerit, apparebat ex loco Cic. in Verr. IV. 41., ubi Verrem majestatis accusare vult, quod Mercurii signum jussu consulis positum abstulisset. Jam si quaeritur, quibus in rebus hac lege imminutio majestatis cernatur, ad ea, quae jam lege Appuleja provisa erant, haec nova sunt addita, ut, qui in magistratu dignitatis suae immemor committeret, quibus de amplitudine reipublicae derogaretur, aut qui potestatem suam non defenderet, majestatis reus esset. Huc referenda sunt: exire de provincia, educere exer-

citum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi R. aut senatus accedere, duces captos vel praedones dimittere, milites sollicitare Cic. p. Clu. 35., in Pis. 21; de Or. II. 39. Agmen legum majestatis claudit lex Julia, quae sitne lata a Julio Cæsare an ab Augusto magna est discrepantia opinionum. Etenim a Caesare legem ejusmodi latam aut certe Corneliam auctam et amplificatam esse constat ex Cic. Phil. I. 9.; verumtamen in hac lege haud pauca insunt, quae nisi ab Augusto aliunde repeti non possint. Ut ut res se habet, id sine controversia liquet, superioribus omnibus ejusmodi legibus hanc et rerum ubertate copiaque ac diligentia longe praestare, quamquam in partitione haud pauca insunt, quae possint vituperari. Quod quum ita sit, multitudo rerum inter se diversarum in quatuor genera commode rediguntur. Potest enim majestas reipublicae a civibus imminui, primum quum inserviunt commodis hostium, quo referenda est proditio, quae nasci potest aut ex dolo malo aut ex ignavia; — sed facinora singulatim ac fusius enumerandi supersedere possumus opera, quum jam supra strictim percursa sint; — deinde quum rerum novarum cupidi mutationem reipublicae efficere volunt, quod fieri solet coetibus ac concursibus, coniurationibus ac factionibus, seditionibus ac turbis; tum a magistratibus ipsis, quum plus quam legibus concessum est, potestatis sibi assumunt, postremo a privatis, quum pro magistratibus se gerunt. Postea quum ab Augusto, tum a reliquis imperatoribus multa etiam alia, quae quidem perlinerent ad dignitatem principum ipsorum, in quos a republica majestas translata erat, legi majestatis subjuncta sunt, ita ut non solum consilia caedis adversus imperatores inita, sed etiam libelli famosi, facta dictaque, quibus dignitas Caesarum elevaretur, lege majestatis tenerentur. Tac. An. I. 72., VI. 8.

Cap. IV.

De crimine repetundarum.

In vestibulo hujus quaestionis praefationis loco ponatur, tria potissimum crimina in capessenda ac gerenda republica versari: repetundarum, peculatus, ambitus. Atque antiqua liberae civitatis tempora nobis breviter percurrentibus scelera ac delicta in petendis gerendisque magistratibus non solum neque nomen commune neque leges habuisse, quibus coercerentur, sed finibus imperii nondum prolatis moribusque prorsus sanctis atque integris ne cogitari quidem potuisse, non est quod miremur. Neque sane potuerunt non rara esse, quum pluribus rebus sat̄ provisum esset, ne magistratus potestate sua abuterentur, ac primum quidem intercessione non solum tribunis et inter se et adversus omnes magistratus, sed etiam ceteris magistratibus, qui quidem pari

potestate erant, inter se concessa ac legitima, tum jurejurando, quod magistratus jurare debabant, non solum ineuntes magistratum, sed etiam abeuntes; nemini enim, nisi qui jurasset in leges, magistratum gerere licebat. Liv. XXXI. 50. Cic. in Pis. 3. Huc accessit, quod omnes magistratus, quum in auctoritate senatus essent, si quid deliquissent, a senatu poterant potestate privari Liv. V. 9. Nec est praetermittendum, quibusdam delictis eorum, qui rempublicam gerebant, aliis legibus jam receptis provisum fuisse, ut lege perduellionis. Postremo auctoritate atque animadversione censoria, quorum fuit magistratus ac judices improbos ignominia notare, delictis ejusmodi magnopere occursum est. Cic. p. Clu. 34. Quae quum ita essent, si ante quaestiones perpetuas interdum usu veniret, ut magistratus in munere publico aliquid delinquerent, aut poterat in eos, postquam a magistratu se abdicarunt, comitiis vel centuriatis vel tributis lege agi, aut a tribuno necessitate urgente ob magistratum male gestum illico in comprehensos animadverti. Liv. XXIX. 37. Cic. in Vat. 9. Postea vero, quum luxuria ac vitia peregrina in urbem immigrassent, moribus plane depravatis tanta scelerum varietate urbs cumulata est atque obruta, ut non solum legibus sed etiam quaestionibus perpetuis ad ea coercenda ac vindicanda opus esset. Ex quibus antiquissima et maxime necessaria fuit repetundarum. Quo in criminis explicando ordiar, ut par est, a notatione. Pertinet autem id vocabulum ad eam pecuniam, quam ii, qui provinciis praerant, contra legem a provincialibus vel sociis acceperant. Ea enim ab iis, unde ablata erat, lege repeti poterat et ab iis, qui abstulerant, reddenda erat. Actio enim ad eam repetendam intendebatur. Atque ab his angustis primordiis proficiscens vocabulum, quum respublica in maiores opes cresceret, libidinibus magistratum novis in dies incitamentis miruu quantum auctis latius patere et omnino de provincia male administrata dici coeptum est. Nam praeter avaritiam, qua ad pecunias contra legem capiendas aducebantur, etiam crimina saeviliae ac crudelitatis vocabulo repetundarum subjecta sunt.

Ac superioribus quidem temporibus, quum in morum integritate atque innocentia optimum provincialibus praesidium esset, vix iis quisquam in ulla re oneri et sumtui fuit; nam quum magistratus rebus necessariis ex aerario satis ornati et impensae in eos sociis facienda legibus exacte praescriptae essent, vix esse potuit, ut apud senatum injurias magistratum conquerentur. Itaque post bellum demum Punicum secundum M. Porcius Cato injurias et vexationes eorum, qui provinciis praefecti erant, lege coercendas esse statuit. Ea enim lege, 195. a. Ch. lata, sumtus, quos in victimum cultumque praetorum socii facere solebant, circumcisi aut sublati sunt. Liv. XXXII. 27. Legem Porciam primus migrasse videtur M. Postumius consul, qui a Praenestinis justo plus postulaverat. Liv. XXXII. 1. Nec defuerunt, qui id exemplum imitarentur, vel etiam longius progrederentur. Cui malo in dies longius serpenti, senatus quantum potuit, occurrit, quum aut ipse audiret conquerentes judicaretque Liv. XXVI. 32., aut

judices extra ordinem sive quaesidores constitueret, qui cognoscerent Liv. XXXIX. 3., aut tribunis plebis permitteret, ut rem ad comitia tributa ferrent, ubi ei, de cuius injuria socii querebantur, si convictus esset, praeterquam quod res reddebat, etiam multa dici poterat Liv. XXXXIII. 8. Verum quamquam negari non potest, nonnullum praesidium in senatu fuisse, tamen rapinas et injurias, quibus vexarentur peregrini ac socii, vix tolerabiles fuisse, eosque maluisse tacitos eas ferre, quam senatum precibus adire, non est, quod moneam, quum et ea ratio persequendi haud ita expedita esset, immo omni genere molestiarum ac difficultatum implicata, nec quidquam deterrendi causa esset provisum, quum ii, qui rapuissent ad majorem pecuniam, quam quanti lis aestimata esset, non possent a senatu condemnari.

Hinc profecto natum est desiderium quaestionis perpetuae, nec fuit alia ratio, qua mala provincialium si minus sanari, at levari possent. Eam iniit L. Calpurnius Piso Frugi tribunus pl. lege sua anno 149 lata. Primam eam fuisse de pecuniis repetundis Cicero identidem affirmat. de Off. II. 21., in Verr. III. 84., Brut. 27. Pertinet autem ea lex imprimis ad pecunias captas, coactas, aversas. Liv. XXXXIII. 2. Cic. de leg. III. 20., eaque diligentissime cautum est de rebus, ad quas ii, qui erant cum imperio ac potestate avaritia ac luxuria facillime possent pellici. Sanxit enim, ne his liceret in provinciis mercaturam negotiave quaestus causa facere, neve omnino quidquam emere ne mancipium quidem nisi in demortui locum. Cic. in Verr. IV. 5. itemque hac lege definitum est, quid quantumque magistratibus in provinciis commorantibus liceret imperare vel postulare. Cic. in Verr. III. 81. Jam occurrit quaestio, licueritne hac lege etiam civibus Romanis in provinciis negotium gerentibus res suas repetere, an sociis solis. Horum potissimum quin scripta sit menimi dubium videtur quum Cic. et alibi et hoc loco imprimis Div. in Caec. 5. dilucide dicat „Quasi dubium sit, quin tota lex sociorum causa constituta sit. Nam civibus quum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato jure repetuntur; haec lex socialis est, hoc jus nationum exterarum est, hanc habent arcem; si qua reliqua spes est, quae sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est.“ Proinde omnibus locis socii commemorantur, ut quibus auctor legis maxime consultum vellet. Praeerat autem huic quaestioni praetor peregrinus consiliumque habebat senatorii ordinis judicum, qui quot fuerint, nec de poena eorum qui condemnabantur satis constat, accesseritne ad litis aestimationem alia poena; veruntamen ex causis, quae supersunt, suspicari licet, ad litis aestimationem, qua quantum ereptum esset, computando efficiebatur, poenam etiam deterrendi causa tum nondum adjectam esse. Itaque quum lex Calpurnia malo illi inhiante avaritia in dies longius serpenti mederi non posset, novae leges et proximae quaeque duriores constitutae sunt; ac tempore quidem proxime secuta est lex Junia, a. M. Junio tribuno plebis lata, ad ea quae in superiore lege praetermissa erant, sup-

plenda. Qua de lege, quum nihil fere historiae fide constet, jam transeamus ad Serviliam a. C. Servilio Glaucia perquam studioso Marii, quem Cicero impurum atque improbissimum increpat, Brut. 62., p. Rab. P. 6. anno 105 latam. Eam uberiorem superioribus ac perfectiorem fuisse, jam inde patet, quod ea non solum magistratus provinciales, sed omnes magistratus, etiam judices, si pecunia accepta perperam judicassent, tenebantur, eademque lege judiciaria controversia ita direpta est, ut pro senatoribus equites judicarent, quo circa et in legibus judiciariis recte potest numerari. Sed ut illuc redeam, unde oratio deflexit, paucis libet explicare, quid hac lege in repetundis novatum quidque gravius adjectum sit. Ac de tempore quidem anni, quo a sociis nominis delatio fieret, ita erat praesinitum, ut judicium per menses aestivos ante Calendas Septembres esset, ne ludis ac feris illum diem uno fere tenore subsequentibus actio interrumperetur. Post nominis autem delationem, iis qui res repetebant, patroni dabantur et ii quidem, qui nullo necessitudinis vinculo cum reo conjuncti essent. Solebant autem fere hospites ac patroni provinciarum, quorum fidem atque praesidium jam experti cognoverant, causam provincialium in se recipere, aut certe consilio operaque sua eos adjuvare. Cic. in Verr. II. 13. Quod quum de numero ac rejectione judicum, et de ratione sententiarum ferendarum hac lege praescripta supra Cap. 5. satis sit dictum, restat, ut de poena aliquanto aucta dicam. Litis enim aestimatione dupli facta, hac lege sancitum est, ut si is, qui condemnaretur, non esset solvendo, aut si demortuus esset, ii solverent, ad quos pecunia pervenisset. Fueritne vero praeter litis aestimationem dupli etiam exsilium constitutum, ex causis, quae ad nostram memoriam transmissae sunt, parum liquet. Itaque quum de comperendinatione sive altera actione, a Glaucia primo lata, jam supra sit mentio injecta, lex Acilia a tribuno M. Acilio Glabrone 101. lata, ideo potissimum commemoranda est, quod ea lege altera actio, priore lege sancita, sublata est, quum Cic. in Verr. I. 9. dicat, ea lege multos accusatos semel dicta causa, semel auditis testibus condemnatos esse, ut quae lex neque comperendinationem neque ampliationem haberet.

Qua etiam duriorem fuisse legem Corneliam a Sulla dictatore 81. constitutam non mirabimur, quum meminerimus, quantis malis post bellum Marsicum provinciae pressae, quanta sublatis legibus ac judiciis expilatione direptioneque socii vexati sint. Atque hujus etiam legis praescriptio fuit illa usitata „pecunia capta, coacta, conciliata“ pertinebat item quum ad omnes magistratus, tum ad judices, qui ob rem judicandam pecuniam accepissent. Cic. in Verr. II. 33. Nec erant pauca ea lege contra rapinas eorum, qui provinciis praeerant, nove provisa; ex quo genere sunt, ut qui statuarum nomine pecuniam coegerisset easque intra legitimum illud quinquennium non posuisset, crimen repetundarum teneretur, in Verr. II. 58. Mirifica sane sollertia ad novas pecuniae corradendae rationes excogitandas utebantur. Cui enim non in mentem venit

dierum festorum, quos volebant sui honoris causa in provincia agi, pecunias vero a sociis ad id collatas in suam rem convertisse? Quid quod aediles ex provinciis statuas ornamentaque ad ludos Romae edendos comportabant? Cic. ad. Att. V. 20. ad Q. fr. I. 1. 9. Et quantae pecuniae insumebantur legationibus, quae postquam magistratus decessit, laudationis causa Romam mittebantur Cic. ad Div. III. 10. Postremo accusatores, quum provinciam ad literas testimoniaque conquirenda peragrarent, pecuniam haud parvam accepisse constat Cic. p. Flacc. 6. Sumtuum igitur ejusmodi profusorum, quibus provinciae solebant exinaniri, modus ut achiberetur lege Cornelia praescriptum est. Praeterea accessio ad poenam haud mediocris facta est. Litis enim aestimatione facta condemnati quadrupli poenam subibant neque abest suspicio, quin jam quasi quaedam infamia adjecta sit, quantum quidem conjicere licet ex verbis auctoris ad Her. I. 11. „lex vetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in conacione orationem habere.“ Quibus legibus quamquam saluti ac praesidio provinciarum quam maxime cautum esse potuit videri, tamen tantum absfuit, ut miseriarum si minus liberatio at certe levatio effecta esset, ut nullo tempore unquam avaritia libidinesque magistratum magis vigerent. Etenim non solum tanta pecunia, corradenda erat, quanta ad sumtus in largitiones suffragiorum emendorum causa antea factas, compensandos opus erat, sed etiam quanta ad lautiorem victimum cultumque futurum, quanta ad judices, si ipsi de repetundis sub legis ac judicii potestatem casuri essent, sufficiebat; et sane vix credibile est, quanto acumine navas pecuniae cogendae vias excoxitaverint, quoque nominibus eam acceperint. Quid plura? plenae sunt exemplorum quum multae aliae orationes Ciceronis, tum maxime Verrinae, ex quibus, ut id unum afferam, nomine ipso judiciorum omnia omnium bona atque fortunas in potestatem Ver-ris fuisse cognovimus. Cic. in Verr. I. 5. Neque sane quidquam attinebat, judiciorum fidem implorare, quippe quae supra quam credibile est corrupta depravataque essent. Quae quum ita essent, in republica tantis malis afflcta obrutaque legem maximopere desideratam esse, qua non ut superioribus generatim ac summatis, sed quaecunque injuriae vexationesque cogitari possent, de iis separatim ac nominatim caveretur. Ejusmodi lex fuit Julia, a Caesare anno 59 constituta, quae quum omnibus numeris plena ac perfecta esset, idcirco optima, justissima, acerrima a Cicerone vocatur. Cic. in Vat. 12., in Pis 12. Multa in ea esse severius scripta, quam in antiquis legibus multoque uberioris, quum non solum, quae utilia viderentur, ex superioribus in eam translata essent, sed etiam in lege scribenda communium postulatorum, quae provinciae post decessum magistratum ad senatum edere solebant, ratio habita esset quam diligentissima, jam inde potest intelligi, quod materies legi subjecta in capita centum et unum digesta est. Cic. ad Div. VIII. 8., p Rab. P. 4. Ac primum quidem, ut jam quae sint maximi ponderis capita legis, paucis attingam, praeter ea, quae jam antiquis

legibus vetita erant, haec fere sunt aut nova aut acriora. Hac enim lege non solum omnes tenebantur, qui pecunias in magistratu, potestate, curatione, legatione vel quo alio officio, munere ministeriove publice acceperant, sed etiam in eos, qui in cohorte eorum erant, ut tribuni, praefecti, scribae, medici, accensi, familiares, denique in necessarios atque adjutores eorum, qui cum potestate erant, hac lege judicium dabatur. Cic. in Verr. II. 10. Nec jam legis scriptori aliter rapinis atque injuriis melius posse occurri visum est, quam si primum, quae a provincialibus sociisque magistratibus vel cum potestate in provinciis commorantibus, vel iter facientibus danda essent, ut equi, lectus, tectum, foenum, ligna aliaeque res necessariae, diligenter denuo sanciret, itemque, ne uxores secum ducerent, ne aurum coronarium nisi decreto triumpho acciperent, ne diplomata, h. e. literas commendaticias, quae in provincias proficiscentibus dari solebant, darent, ne navem haberent maritimam, mercaturam quaestumve facerent, ne plus quam legibus concessum esset, vectigalium frumentique exigerent, ne portorium lege impositum ad arbitrium augerent, quae omniu, ne fieri liceret, lege Julia nominatim sancita erant. Cic. in Pis. 36. 37. Praeterea leges antiquae, ut Cincia de donis muneribusque capiendis Liv. XXXIV. 4. renovatae cautumque ne frumentum non divisum pro diviso, neve aedificia non perfecta pro perfectis in rationes referrentur. Rationes autem, quae antea post decesum Romae solebant confici, ut jam in provincia et ternis quidem exemplis conficerentur, ex quibus unum in aerarium referre, duo in provinciis relinquere lege Julia jussi sunt. Cic. ad Div. V. 20., in Pis. 25. Ad haec accesserunt, quae magis ad provinciam administrandam pertinebant, ut scilicet iis finibus, quos senatus voluisse, provinciam haberent, ne injussu senatus populique de provincia exirent educerentve exercitum, ne omnino aliena curarent. Cic. in Pis. 16. 21. Postremo illud senatus consultum, ne ob judicandum pecuniam acciperent, novis iisque latius patentibus praescriptis lex Julia instruxit, neque enim solum ad omnes magistratus judicesque sed etiam ad eos, qui contra reum dicebant testesque pertinebat; nec minus poenae lege Julia constitutae obnoxius erat senator, qui ob sententiam in senatu consilove publico pecuniam accepisset. Cic. p. Rab. P. 3. Nec aut in legis actione aut in litis aestimatione quidquam mutatum, ad poenam autem id accessisse videtur, ut convictus senatu moveretur et infamiae causa intestabilis esset.

Cap. V.

De crimine peculatorum.

Fraudem capitalem in se admittebant, quicunque sive magistratus erant, sive privati, pecuniam publicam avertabant. Ac pecunia publica non solum de nummis, sed etiam de aliis rebus, quae erant publicae, dicitur, ut de monumentis, de frumento. Dicitur autem peculatorum ut pecunia ipsa a pecore, nec est dubium, quin inde sit dictus, quod ab eo initium ejus fraudis esse coepit; multabantur enim antiquitus, quum aes signatum nondum esset, pecore, quod pecuniae multatriciae loco datum, si quis abegerat eoque fraudaverat rempublicam, peculatorum committebat. Fuit igitur, si quaeraris, furtum pecoris publici, quod a privatis reipublicae multae nomine datum erat. Hinc peculatorum vocabulum in quamvis fraudem, quae fiebat aerario publico, translatum, nec, quaemadmodum furtum communis sermonis consuetudine ponitur in privata fraude, sic peculatorum dicitur nisi de publica.

Atque antiquo quidem tempore quum mores boni plus valerent quam poenae legibus constitutae ejusmodi facinora perrara fuisse et quum tanta esset magistratum innocentia tantaque continentia, si quid aliquando in hoc gene peccatum esset, id in maxima omnium offensione fuisse, non est mirum, nec quum populus aut ipse aut per quaesidores judicaret, adversus ejusmodi fraudes lege aut judicio proprio opus fuit. Postea vero, initio hujus labis a ducibus proficiscente, qui praedam, contra quam debebant, in aerarium non reserabant, quum Romani in dies magis adsuescerent nec a sacrificis nec a profanis manus abstinere, ex necessitate libidinum metu coercendarum natae sunt leges et quaestio hujus criminis propria. Sed a quo et quo tempore ea sit introducta in rempublicam, valde ambigitur. Commemoratur quidem ejusmodi quaestio pro Mur. 20, — cui praeerat Serv. Sulpicius Rufus praetor anno 65, non anno 90, id quod Reinio II. p. 674 videtur — unde patet, quaestionem de peculatorum jam longe ante legem Julianam constitutam fuisse, veruntamen ante hanc legem, sive illa a Cæsare, sive ab Augusto repetenda est, aliam ejus quaestions novimus nullam. Ea autem caveltur, ne quis ex pecunia sacra, religiosa publicave auferat neve intercipiat, neve in rem suam vertat, neve faciat, quo quis auferat, intercipiat vel in rem suam vertat, nisi cui utique legi licebit. Quibus verbis de genere universo peculatorum agi liquet. Separatim autem eadem lege cautum est de personis, qui ea postulari poterant. Est enim porro sic „ne ei fraudi sit, cujus periculo fuerit, is qui pecuniam trajiciendam suscepit vel quilibet alius, ad cujus periculum pecunia pertinet, peculatorum non committit.“ Jam si quaerimus, quomodo haec verba sint accipienda, nescio

quo pacto interpretatione haereamus. Scrupulus vero facile eximeretur, si in vocabulo periculi explicando non liberemur. Atque ne longe abieris, est simillimum veri, hic agi de toto genere accensorum, aerariorum, exactorum, denique de magistratibus infimis, quorum custodiae pecunia publica commissa erat. Hic pariter atque aeditui, quibus sacra vasa custodienda tradebantur, damnata praestare debent, nec minus ii qui pecuniam publicam ab uno loco ad alterum transportandam curant, nec tamen ita praestare debent, ut si quid vel eorum iucuria vel fortunae casu amissum sit, peculatus criminis teneantur, immo periculum eorum cernitur in eo, quod causa privata ad damnum de suo resarcendum condemnari et si quid in munere suae fidei commisso peccarunt, poena justa affici et mercede debita privari possunt. Et sane quum plurimum eorum interesse debet, ne quid rerum iis commissarum amittatur, tum a magistratibus superioribus diligentissime custodiuntur. Longe alia est ratio eorum, qui nobili loco nati rempublicam sine mercede gerunt, quibus quum pecuniae avertendae saepissime et facillime fiat facultas, metu judicij proposito a facinoribus ac frauda deterrendi sunt. Sed jam ad institutum revertar meum et brevissime percurram, quae praeterea lege Julia caveantur. Ac primum non ii tantum, qui depeculati erant, sed etiam ii, qui receperant, rei siebant. Nec hujus loci non sunt, quae aut lege Julia ipsa aut legibus senatusve consultis postea factis peculatus nomine agebantur. Ac severissime cautum erat, ne quid in nummis feriendis dolo malo fieret, ne quid ex metallis publicis averteretur, ne tabulae publicae vitiarentur delerenturve, ne quis praedam ab hostibus captam suripereret. Nec videtur praetermissa esse pecuniae publicae feneratio, quae jam a Cic. in Verr. III. 72. ut vetita commemoratur.

Atque ea poena lege Julia proposita erat, ut ad litis aestimationem aquae et ignis interdictio infamiae atque publicatio bonorum accederet.

Postremo loco etiam duo ponantur ex legis actione et formula petita, alterum ut quinquennio post fraudem conceptam circumacto jus postulationis tolleretur, alterum, quod idem complurium legum commune est, ut pecunia ablata etiam ab heredibus repeteretur.

Neque possumus ab hoc criminis discedere, priusquam duarum rerum, quae peculatum proximo gradu attingunt, mentionem fecimus, sacrilegii et criminis de residuis, Ac sacrilegium, quum ducatur a legendi h. e. furando sacra, est rerum sacraram di-reptio, qua gravior religionis violatio nulla existimatatur. Idque scelus et lege Julia peculatus nomine vindicandum erat, nec videtur jam antea aliter acceptam esse, quum Cic. in Verr. I. 5. dicat, Verrem delubra omnia sanctissimis locis consecrata „depe-culatum“ esse. Pecunia autem sacra, quae in lege Julia vocatur, latius patet et ad omnia, quae Diis rite consecrata erant, ut ad aedes sacras, dona, simulacra referenda

est. In hoc genere etiam fuit muri urbis, in rebus sanctis habitu, Cic. d. nat. D. III. 40. violatione. Neque tamem direptio sacrorum in hostico pro sacrilegio fuit. Alterum eorum, quae supra posita sunt, in crimen de residuis cernitur. Quas dixerint residuas, facile intelligetur, quum suggestum fuerit „pecunias.“ Atque ea appellatio nata est inde, quod qui pecuniam ex aerario acceperant ad certam rem, aut ad provinciam ornandam, si quid residebat, sive reliquum erat ejus pecuniae, id non unquam aerario non reddebant, sed in suam rem convertebant. Quia tamen una appellatione complures res comprehensae erant. Poterat enim de residuis postulari, qui pecuniam publicam aut, qua oportebat ratione, non insumebat, aut quam acceperat ad certam rem omnino non erogabat, aut apud quem ex locatione, emtione aliave qua re pecunia p. residebat, aut qui in tabulas publicas minorem pecuniam, quam quantum confecerat, referebat. Qui hac lege damnati erant, amplius tertia parte quam debebant puniebantur, h. e. pecuniam aversam tertia parte poenae nomine adjecta reddere debebant.

Cap. VI.

De crimine ambitus.

Ambitus crimen cadebat in eum, qui malis artibus atque ratione non legitima se dabat petitioni. Solebant autem candidati, in foro et in campo Martio ambientes, cives, qui jus suffragii habebant, adire atque orare, ut sibi suffragarentur. Quia in re quia praecipua muneric candidatorii pars cernebatur, inde ambitus coepit est dici de petitione universa, sive illa legitima, sive contra erat. Atque antiquis quidem temporibus, quum dignissimi tantum nulla nisi publicae salutis ratione habita crearentur, nequedum iis, qui magistratibus fungebantur, spes provinciarum ad divitias corradendas ostentaretur, benevolentiam civium blanditiis atque largitionibus colligere nondum opus ideoque ambitum rem fuisse incognitam facile potest cogitari. Postea vero, quum simul cum imperio proferendo avaritia ac luxuria crevisset, quum centuriae peregrinis et libertinis receptis plebis venalis multitudine refertae essent, fieri non potuit, quin ad auram popularem captandam eaque re magistratus adipiscendos, ex quibus, tanquam ex fonte perenni, divitiae affluerent, novas easque perniciosissimas rationes excogitarent atque inirent. Ab hac tamen petitionis ratione discernitur illa legitima, quam Cicero licet illa vel ambitio vel liberalitas appelletur, nullo non tempore aut sua aut patrum memoria in republica fuisse testatur. p. Mur 35., nec sane fuerit ita facile liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione sejungere, de Or. II. 25. More enim

majoram petere, ad Att. I. I. legibus concessum erat, nec senatum legibus illis, quas de ambitu sanxisset id egisse, ut suffragatio, observantia, gratia tolleretur semperque fuisse bonos viros, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent, Cicero non dubitat libere fateri p. Planc. 18. Hoc loco ne qua sit admiratio, si de diligentia in munere candidatorio paulo uberius dispuo, id ab instituta hac scriptione non alienum esse jam inde apparet, quod ex hac more majorum usitata ratione perniciousus ille ambitus natus est adeoque saepe tenue discrimen intercedit, ut raro detur, ut possis, quid ambitus fuerit, quid non exakte discernere. Ac primum quidem candidatorum plurimum interesse debebat, ut numerum sui cupidorum ac studiosorum haberent quam maximum. Hac enim officiosa amicitia utebantur, ut eorum opera populum tributum appellarent, ut centurias vel tribus sibi conficerent. Non enim poterant quidquam roboris petitioni suaee afferre, nisi populum tributum vel centuriatim sibi conciliabant. In numero autem fautorum erant consanguinei, necessarii, familiares, vicini, clientes, municipales. Hi omnes confluabant in turbam illam salutatorum officiosam, qui quo facilius conjectum oculorum populi in candidatum praebarent, officio antelucano eum observabant, qui eos mane ad januam foris accipiebat. Huc accedebat frequentia deductorum eaque in isto officio gratuita, qui candidatum de foro honoris causa demum deducebant, nec sunt praetermittendi sectatores sive assidui candidatorum, quacunque ingrediebantur, comites, p. Mur. 33.

Jam alterius rationis, nec sane videtur ea silentio practereunda, qua voluntas popularis conciliabatur, quae quidem in petitorum ipsorum diligentia versabatur, fuit maxima nomenclatio, quacum prensatio conjuncta erat; id erat petere blandius, quod nisi inepte siebat, bene non potuit fieri, Cic. de Or. I. 24., nec enim fuit quidquam ad benevolentiam singulorum civium colligendam efficacius, quam nomina civium nosse, eosque quo notiores petitori esse viderentur, nomine appellare. Hinc nomenclatorum usus satis frequens repetendus est, quibus vix carere poterant, qui ad summos in republica honores proverbi volebant. Itaque quum civium nomina nosse maximi ad petitionem momenti esset, candidati in publicum prodeentes quum alias tum praecipue per trinundinum ante comitia proxima comitem habebant servum, cui id unum munus erat datum, ut civium nomina bene cognita haberet eaque domino, si usus esset, insusurraret. Tales servos memoria multum valere oportebat, quam ob rem memoria nomenclatoris in proverbii consuetudinem abiit. Idemque vocabantur monitores p. Mur. 36. A quibus quum dominus civis occurrentis nomen audiverat, eum nomine appellabat, manum ejus prensabat, eumque quasi ipse jam diu nosset, ita salutabat. Hae fuerunt blanditiae, quibus populo serviebant, in petitione usitatae p. Mur. II. p. Planc. 4. Ad eas accederet oportebat assiduitas, quae in duabus postissimum cernebatur rebus, quarum una ea erat, ut quam diutissime Romae adessent atque

in oculis civium versarentur, altera, ut se tributim submitterent ac diligentius populo supplicarent. p. Planc. 5., p. Mur. 9. Omnia autem longe erat maximum ac plurimum valebat benignitas sive liberalitas. Nolebat enim plebs, ut quae cupidissima munierum esset, carere fructibus ludorum, gladiatoriis, conviviornm, quae jam antiquitus a majoribus comparata erant. In hoc genere Cic. d. Off. II. 16., ubi discernit prodigos a liberalibus, posuit epulas, viscerationes, ludorum venationumque apparatum, nec raro siebat, ut pecunia frumentum, faba, oleum dividerentur idque p. Mur 36. ita excusat, ut dicat, ea omnia ad rationem civitatis si dirigantur, recta esse, si perpendere ad disciplinae (stoicae) praecepta velis, reperiri pravissima, populum enim odi privatam luxuriam, amare magnificentiam publicam. Nec sane praeter tantas impensas parvae molestiae candidatis, quos quidem Cic. in Pis. 23. nationem officiosissimam vocat, erant sustinendae, quum iis saepe coloniae et municipia ad suffragia colligenda essent obeunda. ad Att. I. 1. nec poterant carere opera atque officio virorum honoratorum, qui eos precibus infimis populo commendandos curarent p. Planc. 10. Haec igitur omnia, quia pro modica liberalitate habebantur, in magistratibus petendis erant legibus concessa, nec si satis caute se gerebant petidores, metuendum erat, ne de ambitu postularentur.

Sed ut jam eo revocetur, unde huc declinavit oratio, ad alterum genus petitionis criminosum legibusque vetitum transeamus, ad ambitum, qui proprie dicitur. Eo autem tenebantur ii, qui effusis largitionibus suffragia corrumpebant sibique devinciebant. Quam ad rem adhibebant interpretum, sequestrium, divisorum operam, atque interpretum quidem fuit, verbis candidati agere cum divisoribus certamque pecuniam pro suffragio pronuntiare. Cic. ad Q. fr. II. 15. b. p. Planc. 18, apud sequestres autem pecunia largitionis causa promissa, mutua fide et ab eo qui dabat, et ab iis qui accipiebant, interposita, deponebatur, divisorum vero munus in eo versabatur, ut pecuniam distribuerent, quod quo expeditius fieret, populum describebant, vel singulas tribus decuriabant. Cic. in Verr. I. 8. 22. de Or. II. 63. Neque raro siebat coitio inter duos candidatos ad competitorem aliquem honore dejiciendum; tribus enim largitione devinctas ita inter se partiebantur, ut alter alteri tribum concederet, sive conferret Liv. III. 35. ad Att. I. 17. p. Planc. 22. Ejusmodi coitionem fecit Antonius cum Catilina ad Ciceronem dejiciendum.

Atque melioribus illis temporibus remedia adversus ambitum vel plane nulla fuisse, vel admodum moderata suffecisse constat. Non deerant quidem certamina petitionis Liv. V. 14. eaque saepe acerrima fuisse ex Livii historiis perspici potest, ubi passim legitur, ut XXXV. 10. „ambilio magis quam unquam alias exarserat, summa contentione petebant“ veruntamen de largitionibus et de lege ad eas coercendas ante annum 181. a. Ch. nulla sit mentio. Nam quae superioribus edictis in hoc genere

cauta sunt, ea ad res sane parvulas pertinent. Quum enim petitores toga uterentur creta Cimolia dealbata sive toga candida, lex anno 430 perlata sanxit, ne cui album in vestimentum addere licet petitionis causa. Liv. IV. 25., quae res quam levis prae ingentibus posterioris temporis contentionibus Livio videatur, ex verbis quae addit. liquet „parva nunc res et vix serio agenda videri possit, quae tunc ingenti certamine patres ac plebem incendit.“ Et lex Poetelia ipsa anno 354. Liv. VII. 15. non ad largitiones, quae etiam tum nullae erant, sed ad novorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas et conciliabula ad suffragia colligenda obire solebant, comprimendam lata videtur; atque Maenio dictatori 314. a. Ch. quum in universum edixisset, ne usquam coirent conjurarentve adversus rempublicam, etiam ambitum coercere visum est; nam coitiones quoque honorum adipiscendorum causa factas adversus rempublicam esse statuit Liv. IX. 26. Accesserunt quidem complures leges de ambitu ex auctoritate senatus ad populum latae Liv. XL. 19. sed quum praeter inscriptions earum omnes in silentio jaceant, eas omittamus, ut tandem aliquando ad majora veniamus. Atque magna ad largitiones invitamenta habuit lex Gabinia tabellaria 139. a. Ch., quae sanxit, ut jam non voce, sed tabellis suffragia ferrent, qua quum omnis facultas cognoscendi, quae suffragia essent corrupta, omnino sublata esset, Marius trib. p. 119. largitionibus in dies effusioribus lege nova occurrendum esse statuit ita, ut pontes illi sive aditus, per quos singulae tribus ad sua quaeque ovilia pervenirent, coarctarentur Cic. de leg. III. 17. Mos enim pravus in suffragio ferendo increbuerat, ut quum plebs tributim in suffragium mitteretur, ii qui corrumperet animum induxissent, ad extremos pontes, qua in ovilia introitus erat, consisterent; si enim locus ad hanc rem maxime videbatur idoneus, quia illic tabellas, quas ad introitum pontis acceperant, dare solebant. Qua lege quid Marius secutus sit, si quaeris, dubitari nequit, quin eos, qui in suffragium mitterentur, nulla re extrinsecus allata moveri voluerit, nec est difficile ad intelligendum, hanc legem maxime contra optimates, ut qui in largitionibus plurimum spei reponerent, latam esse. Verum sitne hac lege quaestio de ambitu constituta, quamquam veri simile est, quum haud ita multo post nonnulli de ambitu postularentur, in lege ipsa nullum de ea re est verbum. Itaque si discedamus a lege Cornelia, quae a Sulla dictatore anno 81. lata fertur, ul perquam incerta. Conf. tamen Halm. ad orat. p. Mur. 23., proxime secunda est lex Fabia de numero sectatorum p. Mur. 34. Itemque P. Cornelius tribunus, quum alias res pes- simi exempli tum maxime ambitum et largitiones petitionis causa factas, rogationibus suis impugnavit. Sed quae de ambitu tulerat, quum senatu severiora viderentur, Aci- lius Glabrio et Calpurnius Piso consules anno 67. ex auctoritate senatus lege Aelia Calpurnia ad aliquid de rigore legis Corneliae derogandum p. Mur. 23. sanixerunt, ut qui ambitus convictus esset, non solum senatu moveretur, sed etiam a ceteris honori- bus excluderetur multaque certam solveret eademque lege primo et divisoribus poenae,

et praemia accusatoribus proposita esse videntur. Aliquot annis interjectis singulari polissimum impudentia, qua Antonius et Catilina in petitione usi erant, adductus Cieero auctor fuit senatus consulti, quod quum ad populum datum atque acceptum esset, legis vi praeditum legem Calpurniam severitate longe superavit. Ea lege Tullia, quae vocatur, cautum erat, ne mercede conducti obviam candidatis irent, neve conducti sectarentur poenaque gravior in eos, apud quos nummi deprehensi essent, et in plebem quae accepisset et in divisores constituta erat, neque candidatis biennio, quo petebant gladiatores aut prandia tributum dare licebat, nec id quod ex verbis „morbis excusationi poena addita est“ intelligi potest, cuiquam, eujus nomen receptum haberat, licuit morbum excusare, id quod saepius factum erat, ut causa prodiceretur. Praeterea ad poenas lege Calpurnia jam constitutas exsilium decem annorum accessit. p. Mur. 23. Sed vel haec acriora remedia adversus malum in dies ingravescens parum valuerunt. Itaque quum anno 61. rumore dissipatum esset, vel magistratus superiores divisorum munus in se recepisse Catone et Domicio auctoriis duo eaque duriora senatus consulta adversus ambitum sunt facta, unum, ut apud magistratus domi inquirere liceret, h. e. domi eorum querere, num pecuniae petitionis causa depositae essent, alterum, eujus domi divisores haberent, cum aduersus rem publicam fecisset videri. Cic. ad Att. I. 16.

Tum Cn. Pompejo et M. Licinios Crassos iterum consulibus 55. iuxta Licinia de sodalitiis separati data est Cic. pl. Planc. 15. Fuerunt tamen sodalitia sive sodalitates consensiones eo consilio factae, ut largitionibus et quibuscumque rebus possent, puncta quam plurima aut certe, quot opus essent, candidatis pararent. Is igitur, qui petebat, sodalem adibat cum coequo pecuniae summa conveniebat. Uniusquisque autem sodalis aut totam tribum, aut certum numerum tribulium praestabat. h. e. in se recipiebat, se tribum confecturum. Dicat fortasse quispiam, idem negotium gessisse divisores, de quibus supra est dictum, sed si verum querimus, id interfuit inter divisores — idem quorum quaque tribus unum habebat, ideo quod tribulibus ante suffragium ineundum tabulas diribebant, vocantur diribitores. Cic. in Pis. 15. maximeque sibi erant ad pecuniam dividendant, ad Att. I. 18. id inquit inter divisores et sodales interfuit, quod illorum ossum quisque negotium per se gerebat, hi quo plus valerent, et ratione conjuncti erant. Fuerunt igitur societas ita constitutae; ut labore et quaestum haberent communem. Cic. pl. Planc. 15. 18. 20. Divisa tamen pecunia tribules ita corruptos conscribebant h. e. eorum nomina in tabulas referebant, eoque decurriabant h. e. quo commodius numerarentur, in de nos describabant. p. Planc. 18. quae descriptione in legitimis quoque societalibus iusitata erat. Queruntur sodalitatum operas conductas, quae ambius insinuitus esset factus. p. Cad. 7. iam anno ante legem Liciniam senatus consultum erat factum, ut sodalitates decuriatique in sole, tribulibus largitione

devincti discederent, lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent, eadem poena qua de vi condemnati afficerentur ad Q. fr. II. 3. Jam vero lege Licinia longe duriore non solum exilium vel in decem annos, vel in perpetuum accessit, sed id quod maximum fuit, cautum erat, ut judices editicii in consilio essent cum potestate statuendi. Ii fuerunt judices, quos accusator ita constituit p. Planc. 15., ut quatuor tribus ex omni populo ederet, ex quibus quum una ab reo rejecta esset, reliqui tres judicarent, ad Att. IV. 15. nec injuria Cicero in hoc genere judicum magnam reo iniquitatem inesse dicit. Verum ne hac quidem severitate adversus ambitum in dies liberius grasantem quidquam profectum est, immo non satis fuit largitionibus, quae palam atque omnibus inspectantibus siebant, viam ad honores munire, sed etiam ad vim haud raro descendebant. Gladiatores Clodii et Milonis gladiis strictis et facibus ardentibus armati forum, campum, vias caede ac sanguine replebant. Tantam vim undique ingruentem tantamque honorum cupiditatem plerosque invadentem Pompejus, tertium consul anno 52., fortioribus remediis opprimendam esse censuit. Duas igitur leges de vi et de ambitu quum majore severitate instruxit, tum quo causarum actionem magis expediret, singulas causas spatio quatridui terminavit ita, ut per tres dies testimonia dicerentur, quarto die accusatori binae horae, reo ternae ad perorandum darentur eodemque die judicium pronuntiaretur. Brut. 94., ad Att. XIII. 49. Et quum antea moris fuisset, ut viri honoratii reos aut coram aut per literas laudarent, qua re saepe jus flexum erat, non solum hunc usum sustulit, sed etiam rejectionem judicum arctioribus finibus circumscripsit; atque de ambitu, praeterquam quod album judicum selectorum ipse proposuit, id nove edixit, ut ei qui de ambitu esset condemnatus, ita impunitas daretur, si aut unum virum altioris fastigii, aut duos dignitate pares ambitus convinceret. Peter hist. R. p. II. p. 279. Ac poena quidem lege Pompeji exsilium perpetuum videtur esse constitutum ad Att. X. 4.

Tantum vero absuit, ut his legibus ambitus studia, nunquam alias magis flagrantia, si minus extirparentur, at certe restinguarentur, ut Pompejus ipse legem suam migrare et Caesar mensis, quae pecunia ex Gallia capita oneratae erant, in Campo positilis palam emere suffragia non dubitarent. Cic. ad Q. fr. III. 2. 3. Quid quod ne magistratus quidem ipsi, qui comitiis praeerant, manus ab hoc crimino negotio abstinebant, ut quos ipsi vellent, crearentur? Atque rebus ita comparatis, quum tali in republica vix sisti nec nisi imperio unius malum reprimi posse, nemo non videret, tamen Caesari, ut largitionibus ipsi admodum dedito, non modo lege nova eaque acriore ambitum coercere visum non est, sed plerosque condemnatos in integrum restituit et in eos, qui ambitus rei siebant, clementer consuluit. Cic. ad Att. IX 14. nec Octavianus ab initio legem interposuit, sed quum comitia, sub dominatu triumvirorum valde circumcisa, libera esse vellet, aliis

rebus malo occurrentum esse statuit. Verum quum turbulentis illis consularibus comitiis denuo ad vim apertam esset ventum, legem constituit de ambitu 18. a. Ch., qua lege, ii qui convicti essent, a petitione in quinquennium excluderentur, cui legi paucis annis post severitatis causa hoc adjecit, ut antequam peterent, pignus darent, quod si improbe in petione se gessissent, amitterent; nec attinuit quidquam petitio prospere an secus cessisset; dummodo largitionem factam esse probaretur, pecunia oppignerata amittenda erat. Et poena quidem, si vis facta esset, aquae et ignis interdictio, si suffragia corrupta essent, multa constituta erat ita tamen, ut damnatus infamia notaretur. Atque quod lege Pompeja accusatoribus praemii loco datum erat, ut scilicet qui condemnatus esset, si alium ambitus crimen convinceret, in integrum restitueretur, id in legem Jnliam ita transiit, ut quod pro pignore dedisset, non recipere.

Cap. VIII.

De vi.

